



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 4. Horatij locus ex Euripide expressus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

hominis impudentia, quam nostis, ipse tamen, cum vir esset Syracusis, uxorem eius parum poterat animo soluto ac libero tot in acta dies secum habere. quorum verborum ille, quisquis est, sensum non videre se dixit: nisi pro, in acta, legatur, in lecto. neque intellexit, Ciceronem, quod antea Romano more lectus dixerat, id postea actam voce Græca, ut videlicet in Sicilia loquerentur, nominasse. notum est autem, Siculos eo quondam sermone vsos, qui è Græcis, Latinisque vocibus permistus esset. Actam verò solitos eos dicere pro littore, etiam Virgilius indicio est, qui illud ipsum littus eo nomine vocauit:

At procū in sola secreta Troades acta

Amissum Anchisen flebant.

Ita igitur actam vterque, ut Terentius, & Cicero ipse urbem Atheniensium, Actu. Sed & S. Ambrosius eadem voce vsus est libro quinto Hexameron: *Qua, inquit, non in acta, nec in litoribus, sed in Atlantici maris profundo feruntur videri.* Neque dissimili modo C. Plinius libro VII. Naturalis historię probata pro pecudibus dixit. eius verba sunt: *In eadem Africa familias quasdam effasimantium Isigonus & Nymphodorus tradunt: quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriatur infantes.* non enim quæ familiæ illæ probassent, ea interire affirmavit, sed ut dixi, τὰ ἀεστὰ.

Horatii locus ex Euripide expressus.

CAPVT IIII.

QUOD Horatius libro primo Epistolarum per-eleganter scripsit, esse verba & voces quasdam, quibus animi morbos lenire ac mitigare fas esset, respexisse ipsum arbitror ad locum quendam Euripidis ex Hip-

Ant. Muret
Varia Lectiones
LIB
21

ex Hippolyto coronato, ubi nutrix Phædræ infan-
 priuigni amore incensam alloquens, admonet eam,
 ut morbum illum suum fortiter ferat: esse enim can-
 tus & sermones quosdam, in quibus insit vis ad eum
 mulcendum ac molliendum. Versus Euripidis hi sunt:

Νοσῶσα δ' εὖ πως τ' νόσον κατασπείρω.

Εἰσὶν δ' ἐπιφθὰι, καὶ λόγοι δεικνύμενοι.

Φανήσεται π τῆσδε φάρμακον νόσῳ.

Horatij autem hi:

Feruet auaritia, miseroq; cupidine pectus?

Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire dolorem

Posis, & magnam morbi deponere partem.

non tamen vterque idem intellexit. nam illa de ma-
 gicis carminibus: hic de sermonibus philosophicis
 loquitur, à quibus vera omnium morborum animi
 petenda medicina est. quanquam si quis Euripidem
 quòque idem κατ' ἀλληγοίαν πινὰ significare voluisse
 censeat, libenter me socium ipsius sententiæ ascripse-
 rim. Gaudet enim poeta ille eiusmodi sententiis, quæ
 neque à populari consuetudine discedant, & philoso-
 phicum tamen intra se aliquid occultent. nam quod
 in versibus Horatij lego, *miseroq; cupidine*, non, ut in
 plerisque libris legitur, *miseraq; cupidine*, in eo ve-
 teres libros auctores habeo, ac præterea, esse id ex Ho-
 ratij consuetudine, nullo negotio probare possum. ita
 enim alibi:

At bona pars hominum decepta cupidine falso,

Nil satis est, inquit. & in Odis:

Nec leues somnos timor, aut cupida

Sordidus aufert.

ut dubitari planè non possit, quin ea vera scriptura sit.

Eiusdem